Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 231

Quelle:
Copyright:

phorum &c. In eodem Prooemio legas: *Hunc* (Librum) *Rabanus exponit*. Itaque hoc junior eſt Commentator noſter, et quidem tribus Seculis; *Hugonis* enim Card. a *S. Caro* dicti O. P. qui a. 1262. obiit, *Poſtillam* in Ἐπιτομὴν contraxit, ut Edit. *Lugdun.* 1645. T. III. *fol* 171. f. conferenti patebit. Siſtit vero in illo: *Bonum facientes non deficiamus, metemus enim tempore ſuo non deficientes;* editione ulterius aliquantum procurrente.

II. *fol.* 57. Expoſitio ſequitur Libri *Sapientiae*, cujus Praeloquium ſimpliciter rubro notatur: *In librum Salemonis*, et inſit: *Quecumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam et utilitatem ſcripta ſunt. Aperiat ergo dominus nobis intelligentiam paruulisque petentibus et eſurientibus frangat panem ſacre ſcripture* &c. Agit dein de Libris non canonicis, ſed utilibus *ad morum inſtructionem*, inter quos Noſtrum cenſet a quibusdam *Salomoni* tributum. *Sed auguſtinus ſe diu deceptum dicit hoc errore.* (Ubinam? In *Siracidem* inclinaſſe memini, non vero in *Salomonem.*) *Jeronimus autem dicit. hunc librum non eſſe ſalomonis ſed philonis.* Subdit mox: *Huius libri expoſitionem bellator nomine presbiter quidam VIII. uoluminibus comprehendit. qui huius Libri expoſitor fuit. — Sed utrum greco eloquio expoſitus fuerit, non legitur.* Ad quae obſervo, non ſupereſſe jam *Bellatoris* Commentaria, quae non, ut *Tritbemio n.* 268. viſum, Seculo IX. nec, quod a *Sigeberto Gemblac.* c. 88. mutuatus eſt, Libris VII. ſcripta ſunt, verum Seculo VI. et Libris VIII. teſtante *Caſſiodoro* Presbyteri illius amico, qui ejus Ἑρμηνευτικα enumerat *Capp.* 1. 5. et 6. *de Inſtitut. divinar. Literar. Caſſiodori* verba repetit *Rabanus Maur.* in *Prologo* ad ſua in *Sapientiam* Commentaria edit. *Colon.* 1626. T. III. p. 362. *Cuius voluminis expoſitionem presbyter Bellator octo libris ſe aſſumpſiſſe teſtatus eſt. De quo Pater Auguſtinus et Sanctus Ambroſius homiliarum nomine nonnulla dixerunt. De quo*, id eſt, de *Volumine Sapientiae*, non vero de *Bellatore*, qui ſecus ad *Ambroſii* aevum proveheretur. Quod de graeca Expoſitione *Sapientiae* addit Anonymus noſter, video tamen T. II. *Codd. Mſſ. Angl.* inter Codices *Thomae Gale* p. 186. n. 5895. adferri aliquam *Heſychii*; at in hunc inter plures ejusdem nominis digitum intendere difficile eſt. Neque expeditius, Autorem praeſentis Expoſitionis deſignare. Incipit ille: *Diligite iuſticiam &c. Volens nos auctor inuitare ad ſapientiam primo commendat iuſticiam, de qua yſaias. Qui non didicerit iuſticiam, non faciet ueritatem ſuper terram* &c. Et finit: *In omni loco aſſiſtens eis. Multe tribulationes iuſtorum et de omnibus liberabit eos dominus.* Non ita *Strabus*, aut *Hugo a S. Caro*, aut *Nic. de Lyra*, quos tamen Noſter, ut e variis conjecto, noviſſe videtur.

CLII.